# NONNULLA DE INFANTIUM APHTIS ACROASIS MEDICA...

Angelo Maffei

# NONNULLA

DE

# INFANTIUM APHTIS

## ACROASIS

**MEDICA INAUGURALIS**

QUAM

AD MEDICAM LAURUM

RITE ASSEQUENDAM

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

**ANGELUS MAFFEI**

LANGOBARDUS CASALENSIS

LEGEBAT

CASALISMAJORIS

TYPIS FRATRUM BIZZARRI

1846

SPECTATISSIMO PRAECLARISSIMO VIRO

# HIPPOLITO LONGARI - PONZONE

CONGRESSUS MUNICIPALIS CASALENSIS

ASSESSORI

SCHOLARUM ELEMENTARIUM DIRECTORI ETC. ETC.

OMNIBUSQUE MEIS BENEFACTORIBUS.

190

*Praeclarissime Vir*

*Dum exoptatam laborum studiorumque metam contingo, et Laurea Medica honestor, nihil cordi magis inest, quam gratam animi significationem erga Te, Vir Spectatissime, et reliquos meos Mecenates, mihi vita ipsa jucundiores, amplissimis verbis ostendere. Ni tua fuisset pietas, hodie Medica Laurus mea non cingeret tempora. Auxilia enim coeterorum jam erant exhausta ad sumptus tentaminum Laureae sustinendos, et hinc frustraneae erant et Vestrae elargitiones, Viri munificentissimi, et mei labores. Munificentia Tua, me iterum erexit et tandem finem impono tot tantisque laboribus. At interim beneficiorum quidem memor, et meae tenuitatis plane conscius, nil aliud quam perennis observantiae testimonium Tibi, ac omnibus meis benefactoribus possum exhibere.*

*En itaque opusculum hoc, collatae Laureae quasi primitias, Vobis dilectissimis do totum atque dico. Sit hoc Vestrae erga me liberalitatis publicum monumentum, dum mihi tot familiarium calamitatum est quasi levamen ac solatium.*

192

*Munificentia Vestra spes maxima modo affulget, fore ut familiaria infortunia aliquando mitigentur, et curis meis aliquod levamen afferatur moestissimae meae familiae. Faxint interea superi, ut habeat in me Patria studiosum sui Civem et Medicum ex omni parte sollicitum. Superest, praestantissimi Viri, ut quod incoepsitis opus, illud implere velitis, mihique et conatibus meis pro Vestra humanitate faveatis; dumque me Vestrae liberalitati committo, in dies magis magisque validissimum vestrum patrocinium experiar.*

*Dabat Casalimajore, II Kalendus Aprilis.*

**Umilissimus ac Devinctissimus**
**AUCTOR.**

Commune et vulgare est habere solemnissimam illam diem, qua gravissimarum scientiarum alumni ad optatam metam perveniunt, et credere laetitiis omnibus dignam cerimoniam, in qua Egregii Viri, quemadmodum mos fuit veterum Graecorum, qui praestantissimos Minervae, et Martis cultores laurea corona donabant, meritis adolescentibus idem praemium in amplissima hac studiorum Universitate proponunt, atque impertiunt. Mihi quidam opinio hujusmodi illorum esse videtur, qui levitate, vel audacia quadam rem, ut oportet, non considerant, et quid denique progressu temporis futurum sit, quaerere fugiunt. Ego vero, ubi officii mei gravitatem, et medendi artem, quam amplexus sum, difficillimam perpendo, non possum, quin totus commovear, et doloris sensu futuros dies prosequar quibus prodeam, necesse est, in conspectum societatis integerrimus salutis vindex, et assertor. Itaque praeteritum adolescentiae tempus non sine invidia saepis-

sime repeto, quod in studiis libere, et quiete actum ab omni sollecitudine et querela immune fuit.

Accedit praeterea illa cogitatio, quod in hac ipsa die, quae pulcherrimam labori meo mercedem parat, divellor a Vobis, optimi, et doctissimi Praeceptores, a Vobis, inquam, quorum unusquisque pater magis, quam patronus, innumera in me, tanquam in filium, beneficia contulit, timido et imperito adolescenti animum addidit, latas medicae scientiae provincias aperuit, ducem se fidelissimum per omnes ambages praebuit, et ad gloriae templum iter stravit. Quapropter me Vobis summopere devinctum, et quod in posterum vestra praesentia caream, dolentem ingenue credite, et humaniter suscipite, Viri clarissimi, dum hoc tempore sapientiae vestrae perexiguum diligentiae meae specimen subjicio, quod ad consequendos summos honores iis, qui medicorum studiorum curriculum confecerunt, Accademicae leges in medium afferre praescribunt. Hoc tandem quodcumque est, vestrum est; ex vestra enim disciplina totum hausimus, et ad normam consiliorum vestrorum instituimus; nec publica umquam luce dignum judicaremus nisi esset antea vestro judicio sancitum, et quasi manu obsignatum. Etsi autem scientiam, paucam aut fere nullam ex opere nostro utilitatem in medicinam redundare; tamen rem aggredior animose, quum illum prae oculis habeam, hoc laborum meorum, quod in adeundo scientiae vestrae sacrario jampridem impendi, certissimum fore pignus ac testimonium.

Quamquam innumeris observationibus clare pateat, hominem usque ab initio constitutum esse ita, ut dominetur in animalia omnia, imo totam naturam veluti possideat; nihilo tamen secius cum physica ejus constitutio consideretur, minime aequalem, quin-

imo aliis animalibus inferiorem esse videbimus, etiamsi haec gradatim ad insensibilem materiem descendant. Homo profecto plusquam animalia radiis solis ardentis expositus, aut influxui aquilonis perfrigidi aeque resistit; sed cum hominis infantia, quam illa animalium, longior sit, diu subjicitur iliadi malorum illius aetatis propriorum, periculosiorumque in illo, cum minus simplicia sint, quam in animalibus ipsis, quae etiam prae illo, mirifice proprio instinctu utuntur.

Cum itaque, ad summos honores Doctoris Laureae assequendos, munus meum sit de aliquo argumento ad medicinam spectante sermonem habere; in mentem mihi venit de aliquo ex multifariis morbis, quibus infantia protracta homines exponit, pertractare. Inter hos ulcuscula illa selegi, quae in oris tubique intestinalis cavitate infantium adparent, eo magis terribilia, quo proprias aegritudines miselluli exprimere nesciunt.

Neonatorum aphtae sunt illae phlyctaenae vel pustulae albidae aut cinericiae, quae in oris antrum praecipue prorumpunt, et saepe saepius per tractum intestinalem extenduntur, magnitudinis ac formae variae, humoris repletae, urentes, et, si exsiccatae fuerint, in escharam transeunt.

Morbus hic idiopathicus, vel primarius (protopathicus) qui non ex alio morbo praegresso, sed originem suam potius recenti causae morbosae debet, qui tantum in infantibus adparet. Symptomaticus vel secundarius (deuteropathicus) qui saepe saepius aliorum morborum comes observatur in adultis. Quare jamdiu medici omnes convenerunt in statuendis duabus hujusce morbi speciebus, aphtis neonatorum videlicet, et adultorum. Ne academicae disceptationis limites praetergrediar, de prima tantum sermonem tenebo; eisque in exponendis hunc dicendi ordinem ser-

vabo, ut primum morbi indolem, initium ac incrementum, ut par est, depingere; causas morbum producentes exponere; dein quid timendum, quid sperandum sit, edocere; tandem quibus remediis morbus tractandus sit, ocyus explicare studuero.

Infantium aphtae ut plurimum in orphanotrophiis observantur, ubi per contagium communicantur; nam ex ore sugentis infirmo per lactantem papillam in labia infantis sani transeunt. Epidemicae observatae fuere in Hispania sub nomine *phegaritis*, Endemicae in Batavia grassantur, in nonnullis Hungariae regionibus, nec non in aliis locis humido-frigidis.

Antequam aphtarum eruptio adpareat, infantes inquiete dormiunt, vel penitus insomnes sunt; cavum oris siccum et aridum calescit, qui calor digito inserto percipitur, vel etiam lactantis papilla; lingua arida rubet et quidquam tumescit; suctio et deglutitio difficilis dolorem excitant; sitis permagna; saepius avideque dilectam arripiunt mammam, vix vero arreptam dimittunt, miserabili vagitu ejulatuque dolores suos prodeuntes. Pallescere pedetentim parvuli incipiunt; vox fit rauca; anxietas, inquietudo augentur; urina copiosior cernitur, alvo magis obsita. Alias, urgente siti, vix haustum lac grumosum, interdum meram bilem vomitu ejiciunt; pulsus parvi ac languidi micant. Interea febris urens accedit, et pulsus sensim sensimque elevantur. Post tres quatuorve morbi dies ad internam faciem plerumque labiorum parvae vesciculae punctulorum albentium ad instar prorumpunt modo discretae, modo confluentes. Sub continuo symptomatum augmento, ac sub privati somni effectibus, puelluli tabescunt et macie conficiuntur; brevi quoque in gingivis, lingua, palato, faucibusque aphtae progerminant; quae quidem sensim magis elevantur, magnitudine seminis cannabis vel lentis, halone rubro circum-

scriptae, lympha adimplentur albo-flava, quasi margaritarum splendore referente, sed si aphtae indolis malignae sint, tunc nigrescente, livida, quinimo atra et foetente.

Si aphtae rarae et parvae sunt, infans robustus ac vegetus, si praegressa phoenomena post eruptionem minuantur, vel omnino cessent, aphtae ipsae brevi disruptae escharam spongiosam, floccis similem lactis concreti efformant, quae post paucos dies delapsa, levem maculam subrubram relinquit, et puelli vel citius ad salutem redeunt, vel novam eruptionem patiuntur.

Non semper eadem occurrit sors; aliquando morbus extemplo saevior evadit, non raro epidemicum characterem induit, suamque malignitatem ostendit praecipue in infantibus debilibus ac fere infirmis, ubi congrua methodus usque ab initio neglecta fuit; tunc omnem medicorum attentionem exposcit.

Supra enuntiata symptomata, quae eruptionem praenuntiant, vehementiora evadunt. Febris acuta urit, et secunda vel tertia morbi die vesciculae nigriscentes discretae elevantur, quae inter se confluunt; brevi omnem oris ambitum, totamque linguam occupant, disrumpunt, escharamque chartae pergamenae non dissimilem efformant. Phoenomena post eruptionem augentur; somnus, suctio, digestioque impedita; totum corpusculum calore urit. Mox in faucibus, larynge bronchiisque prorumpunt aphtae, deglutitionem respirationemque difficilem reddunt, tussim molestam excitant; vox rauca clamores supprimit, pertinacesque singultus suffucationem minitantur. In aesophagum ac ventriculum propagatae sensum ustionis, dolorem, vomitum inducunt; per tractum intestinalem extensae diarrhoeam producunt, et continuo materies foetidissimae virides, interdum sanguineae escharisque commixtae cum doloribus colicis ac meteorismo fluunt. Jugiter increscit morbus, plus minusve sae-

175



vit, donec febris hectica vel nervosa, vel oris, esophagi, ventriculi, intestinorum gangrena desideratum miselli vitae finem imponit.

In Cadaverum extispicio observatur tota superficies interna tubi intestinalis materie albida ac viscida obtecta, sub qua aphtae nonnullae adhuc adsunt, et aliquando gangrena huc illucque manifeste patet.

A variis potentiis noxiis neonatorum aphtae oriri queunt; sed omnes ad praedispositionem corporis infantilis, ad victum ed regimen, ad varias aëris temperaturas ac injurias, ad contagium demum cui infans aliquando exponitur, reducuntur.

In neonatis Meconium ni blando matris colostro, vel leviter cathartrico evacuatum; aetas infantilis; habitus et corporis structura debilis sommopere ac sensibilis; lac nimium vel nullum; lac pingue subacidum, vel lac nutricis aliqua dyscrasia affectae, seu pathematibus agitatae, vel pravo victu potuque utentis; puls farinacea aliaque alimenta male parata, teneroque puerorum ventriculo non subigenda; praematurum lactis in ore pueri ad ubera obdormientis coagulum; neglecta oris post ciborum assumptionem purgatio ac lotio; omissa balnea tepida totius corpusculi post nativitatem; vestium immundities; cutanea transpiratio turbata vel cohibita, et praesertim pedum refrigeratio; regimen nimis calidum a velamentis productum; suctio mammarum aliquo morbo affectarum, vel quadam materia illitarum; dentitionis tempus; aciditas primarum viarum, saburrae in ventriculo et intestinis collectae; praeterea aër insalubris humidus atque frigidus; annuae costitutiones; contagium denique propter contactum multismodis productum, sunt totidem causae, quae aphtarum evolutionem promovent.

Ad hujusce morbi naturam quod attinet, varias Medici statuere sententias; alii siculi degenerationem glandularum mucosarum oris

atque intestinorum eum considerarunt; alii, inter quos Undervood, quantitatem vel qualitatem acrem humorum a glandulis oris, faucium, stomachi, intestinorumque secretorum calorem exulcerationes producentem esse dixerunt; alii contra alkalescentiae humoris secreti tribuere. Celeberrimus Huffelandius eum in anomalia peculiaris secretionis cutaneae et internae oris primarumque viarum superficiei posuit. Clarissimus Stollius aphtas vitio digestionis, corruptaque systematis gastrici functione gigni opinatur. Ego quoque idem censeo cum praelaudato Stoll, et nil aliud adjungo, nisi quod semper, casibus exceptis in quibus aphtae per contagium communicantur, quamvis et in illis casibus, ut morbus oriatur, aliqua praedispositione in individuo indiget, omnibus in casibus, inquam, semper a perturbata functione digestionis pendere. Revera causae antea memoratae fere omnes directe vel indirecte debent in systemate gastro-enterico agere, et hinc laesiones ibi inducere; ejusque functiones perturbare.

Pro diversa morbi intensitate ac extensione prognosis quoque diversa. Quo pauciores aphtae adparent, suamque sedem in ore tantum et in labiis figunt; eo levior est morbus, et duorum triumve hebdomadum decursu solvitur. Quo copiosiores errumpunt, nec tantum oris antrum occupant, verum etiam pharynge, et tractu intestinali extenduntur; hinc suctionem, deglutitionem, et respirationem difficilem reddunt, febrem, ardorem, tussim, singultum, emesim, diarrhoeam excitant; quo aphtae magis confluunt, ac ab albido colore recedunt; quo saepius escharae cadunt, iterumque renovantur; quo magis os exsiccatur; foetidusque manat odor; quo citius vires labant corpusque emaciatur; eo majus periculum aphtae minantur, et aegri inter dolores ac spasmos extremum exalant spiritum.

Praeterea prout infantium aetate, eorumque statu salutis, aliarum circustantiarum conditione prognosis quoque mutabitur. Quo tenuiori aetate aegri sunt, eo majora eminent pericula. Ita debiliores ab aliis causis viribus destituti, parentibus valetudinariis geniti facilius, quam sani, robusti ac vegeti, pauperi quam divites, qui uberis extraneis lactantur facilius, quam qui ubera materna suguntur, vitam amittunt.

Maximi tandem sunt momenti ad rectam prognosim statuendam regimen medicamentosum et diaeteticum in primordiis morbi adhibitum vel neglectum. Si misera rerum conditio talis sit, ut causae hunc morbum procreantes minime vitari possint, nunquam prognosis erit fausta, et infelix omnino, si morbus epidemiae caracterem induit.

Antequam de morbi therapia proprie dicta aliquid dicam, non inutile methodum praeservativam seu prophylacticam exponere arbitror, nam facilius morbus avertitur, quam vigens curatur.

Aurea summorum virorum praecepta, qui de physica infantium educatione tractarunt, scrupulose religioseque sunt observanda; quapropter, atmosphaera, mundities, ac diaeta omnem postulant attentionem. Hinc aer sit salubris, temperatura, victus ac alimenta sint aetati convenientia. Infans si ubera sugit, lac maternum, vel hoc deficiente ( pro aliqua valida ratione; nam omnes matres deberent proprios natos lactari, et hoc pro incolumitate propria servanda, et eorum sobolis ), illud nutricis sit bonae indolis; nutrix sit sana, sobria, non iracundiae dedita; si hoc fieri non posset, tunc artificialis convenit lactatio, diversa sub diversis circumstantiis. Lac animalium domesticorum est anteponendum; et inter illos, illud asinae et equae magis lactis mulieris naturae appropinquatur; sed cum rarum sit illud juvencae praefertur. In aliquibus orphanotrophiis

utitur lactari neonatos ab aliquo morbo dyscrasico vel contagioso adfectos cum capris. Lac sit recens, non coctum, vasa sint convenienter pulita. Infantibus trium vel quatuor mensium lac detur jusculo commixtum sed perfecte ab adipe liberatum; aliqui et vitellum ovis adjungunt. Generatim lac primum sit aquae commixtum, deinde paulatim lac solum, inde pulticulae bene paratae sat aptum nutrimentum infanti praestant. Cavendum est, ne lac in ore coaguletur; cum infans suxerit, ejus os sedulo linteis non lotis madefactis, ut a nonnullis matribus fit, sed simplici aqua frigida abluatur atque purgetur. Et methodus qua utitur in lactatione artificiali, neonatos ab aphtis potest praecavere. Spernenda sunt et choclearia et vasa vitrea quaedam quae in appendicem spongiam a velamento subtillimo defensam ferunt; nam istis methodis, et non praesta est saliva ad digestionem, et lac coagulatur, et hinc turbas gastricas aphtas, etc. Melior adparatus pro infantibus artificialiter lactandis est ille Mad. Bretton. Est hoc vas vitreum cui possumus adplicare papillam juvencae, hoc facilitat suctio, et tantum ut parva liquidi quantitas in ventriculo ingrediatur permittit, secretionem denuo salivae promovet. Nunquam tandem permittatur, ut infans cum aliis hoc morbo laborantibus in contactum veniat.

Haec pro prophilaxi; sed cum aphtae jam prodierint, tribus indicationibus, sicuti in omnibus fere morbis fit, ordinatim satis facere oportet. Causas nempe primum quaerat medicus, easdem removeat; dein mutationes a causis inductas tollat; tandem, quantum fieri potest, pristinam sanitatem restituat.

In morbi initio dum causae effectus adhuc exercent, in eas tum agere tantum licet. Generatim munditie, convenienti temperatura, congrua diaeta tum infantis, tum nutricis utendum est. Si

lac causa est, in melius mutatur; si gastricae saburrae, meconium retentum, quantitas vel qualitas lactis prava, aliique cibi incusentur; levissime emetica aut blanda cathartica sunt exhibenda; ut tamarindorum vel prunorum pulpa, cassia, manna, et praesertim syrupus cichorei cum Rheo, et similia. Enemata, balnea simplicia, regimen diaeteticum minime neglectum ut plurimum sufficiunt.

Quod si morbus jam increbuit, ad secundam indicationem medicus animum convertere debet, mutationem morbosam nempe tollere; quod si id fieri nequit, ejus saltem incrementum impedire. Sed ad hoc obtinendum varia varii tum interna, tum externa proposuere remedia; haec omnia ad mucilaginosa, blanda evacuantia, ac tonica adstringentia reducuntur; tales sunt emulsiones amygdalarum dulcium, gummi Arabici aliorumque; decoctum salep, seminum lini; succus dauci carotae, rapae sativae, raphani hortensis, tinctura barbari, et similia. Si meteorismus, tormina, diarrhoea colliquativa, convulsiones infantem divexent; tum magnesia, parva opii dosis, ejus praeparata, ut laudanus liquidus; tinctura thebaica, opii extractum etc., in aliquo vehiculo diluta conveniunt. Inter externa enumerantur mel despumatum vel rosatum, syrupus mororum seu cerasorum cum acido sulphurico ad gratum saporem remistus pluries de die aphtarum superficiei admotus. Eodem scopo succus diversi in quibus sulphas zinci, aut alumen solutum sit, vel in simplici aqua destillata adhibentur. Borax veneta inter omnes laudes summas obtinuit, cujus dimidia vel integra drachma cum mellis rosati uncia ad cavum oris illiniendum praescribitur; porro si aphtae in aesophago ventriculoque prorumpunt, felici cum successu potionis quaedam quantitas ut deglutiat, permittitur. Quod si aphtae malae indolis sint, ad gangrenam vergentes tunc

cito ad antiseptica remedia confugiendum est; inter quae cortex peruvianus, ejusdem pulvis, decoctum vel extractum una cum myrrha in aliqua potione acidula diluta perbene praestantur. Nonnulli quoque inter remedia externa plumbi praeparata, et praecipue saccharum saturni praedicarunt; sed caute haec adhibenda sunt, ne intoxicatio enascatur, nam facillime infantes deglutire queunt. Caetera alia remedia composita, quae a veteribus commendata fuere ad eundem scopum plus minusve tendunt.

Quod si tandem morbo finem imponere datum fuerit, numquam medicus tertiam indicationem praetermittat. Itaque si morbi secundarii insurrexerint, debet omni vi ac studio eos debellare, nec non exhaustas vires vitales erigere, et recidivas praecavere. Quare juscula nutrientia et decoctiones e lichene Islandico praesertim conveniunt. Si magna sensibilitas partium remanserit, mucilaginosa atque emollientia cum fructu adhibeantur. Numquam omittantur lotiones aqua pura, vel solutionibus, ablata sensibilitate, levissime adstringentibus supra enunciatis. Omnia demum quae in prophylactica cura memoravi, attente stricteque observata, recidivas praecaveant, ac optime convalescentias promoveunt.

Haec sunt quae de infantium aphtis coram Vobis, Praeceptores praestantissimi, pro ingenii mei tenuitate dicere habui. Si quid minus recte contra volontatem disputatiunculae huic nostrae irrepsit, id mihi humanitas vestra, quae a vera doctrina numquam sejuncta est, remittat, praecor, atque condonet. De caetero Vobis hoc spondeo, in meque recipio, nullum tempus futurum, quo non ego, ubicumque terrarum fuerim, summa Vestra in me merita recorder, et talem me societati praestare contendam, qualem decet, qui vestris doctrinis institutus ex sacrario Medicinae prodierit, et studia sua in tutanda hominum salute collocarit.

# THESES DEFENDENDAE.

I.

Antagonismus vitalis inter systema lymphaticum et sanguiferum nullus.

II.

Amoenorrhea effectus potius sive phoenomenon, quam causa chloroseos.

III.

Decipiuntur qui oculi conjunctivae serosam pro parte tribuunt naturam.

IV.

Tabes dorsalis a spermatis jactura non omnino repetenda.

V.

Morbi duntaxat dynamici non dantur.

VI.

Inflammationes intermittentes haud admittendae.

VII.

Criterium sic dictum a juvantibus et laedentibus, ad conditionem pathologicam statuendam quandoque fallax, saepe saepius incertum.

VIII.

Hydrops membranarum serosarum inflammationis non semper exitus.

IX.

Nervorum sensibilitati et motui prospicientium diversa est compages.

X.

Dolor non semper morbi sedem demonstrat.